

tam libros ad utilitatem animæ quam venenata dogmata confcripisse. Hunc quem negas iuste à Demetrio in causa fidei esse damnatum, & hunc quem negas pro dogmatum novitate acculatum, tu execrandum pro novitate dogmatum, dicis: & ea quæ dicis, nunc adversum eum canes rabidos simulari, hæc tu ipse simulabis. Romanum quoque senatum, ut nunc scribis, Epistolis tuis communitatis, juramentis, satellitibus circumvolantibus, etiam tu coges contra eum: & talem vicem pro omnibus laboribus suis Chalcentero tuo reddes. Et ideo cave hæc nunc scribere, ne cum hæc scripseris & illa egeris, multo verius tu tuis sententiis condemneris, quam ille alienis. Putas ne habuisses Prophetæ illi hæc tibi dicenti fidem; & non magis illum insanum tunc, quam te in hæc venturum putas? Sed contentio hæc est, quæ nec amicis parcat: dummodo lædat inimicos. Tu vero hoc supergressus, tibi ipsi non parcas: dummodo non inimicos conficias, sed amicos.

Item ex præfatione Hebraicarum questionum post multa. De Origene autem, inquit, sileo: cujus nomen si parva licet componere magnis, meo nomine invidiosum est. Qui cum in hominibus suis quas ad vulgus loquitur, communem editionem sequatur: in tomis Hebraica veritate superatus, & suorum circumdatus agminibus: interdum linguæ peregrinæ querit auxilia. Hoc unum dico, quod vellem cum invidia nominis ejus, habere etiam scientiam scripturarum, floccipendens imagines umbrasque larvarum: quarum naturæ esse dicitur, terrere parvulos & in angulis garrire tenebrosos.

Verum ego jam nec mirari debeo, nec conqueri pro his quæ in me agit: qui tantis viris & talibus non pepercit. Nam & sanctæ memoriæ Ambrosium Episcopum qualibus figuris laceret, qualibus obrektionibus secet: in his ipsis in quibus nihilominus laudat Origenem, similiter ex suis præfationibus edocebo. Præfatio de hominibus in Lucam ad Paulam & Eustochium. Ante paucos dies quorundam in Matthæum & Lucam commentarios vos legisse dixistis: è quibus alter & sensibus hebes esset: & alter in verbis luderet, sententiis dormitaret. Quamobrem petitis, ut istiusmodi nugis contemptis, saltem triginta & novem Adamantii nostri in Lucam hominias, sicut in Græco habentur, interpreter: molestam rem & similem tormento, alieno, ut ait Tullius, stomacho & non suo scribere: quam tamen ideo nunc faciam, quia sublimiora non poscitis. Siquidem illud quod olim Romæ sancta Blesilla efflagitaverat, ut viginti sex tomos illius in Matthæum, & alios quinque in Lucam, & triginta duos in Joannem, nostræ linguæ traderem: nec virium mearum, nec otii nec laboris esse perpiciatis. Sed quantum apud me & auctoritas vestra & voluntas valet, prætermisi paululum Hebraicarum questionum libros, ut ad arbitrium vestrum, lucrativi operis, hæc qualiacumque sunt non mea, sed aliena dicerem: præsertim cum à sinistro officium corvum audiam crocitantem, & mirum in modum de cunctarum avium tideret coloribus, cum totus ipse tenebrosus sit. Fateor itaque antequam ille objiciat, Origenem in his tractatibus quasi puerum talis ludere: alia sunt virilia ejus, & senectutis scia. Quæ si vobis liberit & potero: si Dominus ut in Latinum veritam sermonem dederit commeatum: & prætermisum prius opus explevero, tunc videre poteritis: imo per vos Romana lingua cognoscet, quantum boni & ante nescierit & scire nunc cepit.

Ecce quæ de Origene & de Ambrosio sentiat. Quod si negare voluerit hoc quod omnes sciunt, quia de sancto Ambrosio dixerit: primo ex eo convincetur: quod apud Latinos ipsius tantum, & non alterius in Lucam commentarius fertur. Deinde scit me habere Epistolam suam: in qua hoc ipsum de aliis excusans, in illum convertit suspicionem. Verum, quia Epistola illa etiam secretiora quedam continet, quæ interim modo publicari nolo ante tempus: ex aliis adhuc his similibus approbabitur. Interim Origenis libros, ut supra diximus, in omnem admirationem extollit & dicit: quod si eos interpreter Romanam linguam, cognoscet quantum boni & ante nescierit & scire nunc cepit: id est in Matthæum, inquit, viginti sex libros, & in Lucam quinque, & in Joannem triginta duos. Isti sunt quos magnificat, in quibus eadem proflus omnia sed latius & copiosius, quæ & in istis libris pro quibus me arguit, continentur. Quod si iste promittit se istos interpretaturum; me quare pro similibus incusat? Sed quoniam polliciti sumus probaturos nos

Ambrosiū laceratum ab Hieronymo voluit Ruffinus.

Hieronymus prætermisit paululum Hebraicarum quæstionum libros.

Ruffinus habere se dicit Epistolam Hieronymi secretam continentem.

Fallitur hic Ruffinus interpretres verborum Hieronymi.

quomodo laceret virum omnium admiratione dignum Ambrosium Episcopum: qui non solum Mediolanensis Ecclesiæ verum omnium Ecclesiarum columna quedam & turris inexpugnabilis fuit: unam adhuc ipsius præfationem ponemus, ex qua videatis vel tantum virum quam fædè & indignè laceret: vel iterum quomodo Didymum usque ad cælum effertur laudibus, quem rursus usque ad inferna demergit: vel quomodo de urbe Roma Deo favente capite Christianorum, ea dicat quæ dicebantur tunc, cum gentiles in ea populi & persecutores principes morabantur.

Præfatio ad Paulinianum de Spiritu sancto: Dum in Babylonem versarer, & purpuratæ meretricis effem colonus, & jure Quiritum viverem, volui aliquid garrire de Spiritu sancto: & ceptum opusculum ejusdem urbis pontifici dedicare: Et ecce olla illa quæ in Jeremia post baculum cernitur, à facie cepit Aquilonis ardere: & pharisæorum conclamavit senatus, & nullus scriba vel factus, sed omnis quasi indicto sibi prælo adversum me imperitiæ factio conjuravit. Illic ego velut postliminio Jerosolymam sum reversus: & post Romulicam casam, & nudorum lupercal, diversorium Mariæ & speluncam salvatoris apexi. Itaque mihi Paulinianus frater, quia futurus prædictus Pontifex Damalus, qui me ad hoc opus primus impulerat jam dormivit in Domino: tam tuo quam venerabilem mihi ancillarum Christi Paulæ & Eustochii nunc adjutus oratu, canticum, quod cantare non potui in terra aliena, hic à vobis provocatus in Judæa immurmuro: augentior multo locum existimans, qui salvatorem mundi, quam qui fratris genuit parricidam. Et ut autorem titulo fatear, malui alieni operis interpretes existere, quam ut quidam faciunt, quasi informis cornicula, alienis me coloribus adornare. Legi dudum de Spiritu sancto cujusdam libellos: & juxta Comiti sententiam, ex Græcis bonis, Latina videri non bona. Nihil ibi dialecticum, nihil virile atque districtum quod lectorem vel ingratis in assensum trahat: sed flaccidum totum, molle, nitidum, atque formosum, & exquisitis hinc inde coloribus pigmentatum. Didymus vero meus oculus habens sponsæ de Cantico canticorum, & illa lumina quæ in candentes jam segetes sublimari Jesus præcipit, procul altius intuetur: & antiquum nobis morem reddit, ut videns vocetur Propheta. Certè qui hunc legerit, Latinorum furta cognoscet: & contemnet rivulos cum ceperit haurire de fontibus. Imperitus sermone est, sed non scientia: Apostolicum virum ex ipso stylo exprimens, tam sensuum nomine, quam simplicitate verborum.

Audistis quomodo quem antè corvum dixerat & totum tenebrosum, nunc iterum corniculam dicat, alienis se pennis vel coloribus depingentem: & quam turpiter laceret, & nihil virile dicat habere virum, qui ad Ecclesiarum Christi gloriam electus à Deo est: qui in testimoniis Domini locutus est, in conspectu persecutorum regum, & non est confusus. Ambrosius sanctus, de Spiritu sancto, non solum verbis, sed & sanguine suo scripsit. Obtulit enim persecutoribus sanguinem suum, quem in se fudit: sed à Deo ad alios adhuc reservabatur labores. Quod etiam si secutus est Græcos Catholicos nostrorum scriptores, & aliquid de eorum scriptis præsumpsit: non continuo hæc debuit tua esse summa cura, hic labor, hoc studium, ut pro hac causa interpretareris librum Didymi de sancto Spiritu, ut furta illius cognosceretur: qui fortassis etiam necessitatem scribendi passus est, ut insipientibus tunc hæreticis responderet. Hæc est Christiana modestia: Sic monita servamus Apostoli dicentis, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam? Deinde quomodo, ut iterum eadem repetam, tu qui prædicas non furandum, furaris? Paulo ante interpretationem Michææ objectam tibi dicebas, quasi Origenis dicta furareris. Tu furtum quidem non negasti, sed ais: Quod mihi illi maledictum vehemens existimant, hoc ego laudem duco maximam, cum illum imitari volo, qui cunctis prudentibus & vobis placet. Tua furta laudem tibi præstant maximam: alios furta sua apud te corvos & corniculas faciunt. Si tu Origenem quem alterum post Apostolos dicit, rectè facis imitari: quid concidis eum, qui secutus est Didymum, quem nihilominus & Prophetam nominas & apostolicum virum designas? Si ergo neque tanto ac tali viro Ambrosio pepercisti: & eum quem alterum post Apostolos scribis, atque omnibus placere prudentibus, ac mille aliis laudibus, non doctus, ut dicis, sed innumeris scriptis tuis usque ad cælum extulisti, rursus hæreticum quem ante Apostolum facis: & Didymum ipsum,

Ambrosii laudes.

Hieronymus.

Laudes Melaniae de exemplaribus Chronicorum erant Hieronymus.

Gloriatio Ruffini.

Mentitur Ruffinus.

Ambrosii laudes & defensio.

Hieronymum insinuat inanis gloria.

quem nunc Prophetam videntem, & oculum habentem sponsæ de Cantico canticorum, & apostolicum virum sensuum nomine designas, iterum eum perversum doctorem criminaris, & inter hæreticorum consortia, tua censoria, ut ais, virgula segregas: quam virgulam à quo acceperis nescio: nam Petrum semel scimus claves à Christo accepisse: istas modo censorias virgulas qui spiritus erogat, tu videris: si inquam istos omnes quos tuo ore laudasti, tuo ore rursus condemnas: quid ego ad istos pulex de me conquerar, si me nunc laceres, quem & in Epistolis tuis antè laudaveras, & in Chronicis tuis Florentio & Bonoso, pro vitæ, ut ais, nobilitate conjunxeras.

Etiam nec illud ejus admirabile factum silentium est, ne pudorem incutiamus audientibus, quod Marcellini consulis neprem, quam Romanæ nobilitatis primam, parvulo filio Romæ delicto Jerosolymam petisse, & ibi ob insigne meritum virtutis Teclam nominatam, in ipsis Chronicis suis scripserat: post id de exemplaribus suis erasit: cum actus suos vidisset districtioris disciplinae fœmina displicere. Compellimur quidem plura adhuc de scriptis ejus congregare: ut agnoscatur quam verum sit & hoc quod scribit, quod in suis duabus tantum præfationibus Origenis meminerit: in his non fidem ejus, sed ingenium: non dogmatum eum, sed interpretem laudans. Adhibui interim decem.

Sed ne dilatare nimis sermonem onerosum sit, sufficiant interim hæc, in quibus eum & quasi Apostolum laudat, & quasi Ecclesiarum magistrum: & quia non pro fide, non pro dogmatum novitate, ut rabidi nunc canes simulant, adversum eum movetur ordo Romanus: & quia ipsum sequitur, qui omnibus prudentibus & ipsi placet: & omnia illa quæ inserat superius ejus præfationibus contestantur. Verum hæc quoque modo sunt, quæcumque habes tu cum istis vel antiquis vel novellis scriptoribus, five eos tu Apostolos, five eos venerarios scribas, five Prophetas eos tu, five perverfos doctores voces: ad me ista quid spectant? Tu pro his varietatibus tuis, pro contumeliis & lacerationibus bonorum, reddere penitentiam egeris, si tamen egeris. Mihi quare dicis, si secuti sunt errantem sequantur correctum? Apage, absit à me. Nunquam ego nec te, nec alium errantem secutus sum: sed in virtute Christi, nec te, nec alium quemquam, nisi Ecclesiam Catholicam sequar. Tu qui scripsisti talia & secutus es eos, quos errasse credebas, qui tam indignè de Deo scripsisti convictus es: tu age penitentiam, si tamen putas tibi blasphemiam crimen ignosci.

Nunquid mea aliqua proferre potes scripta similia: in quibus me vel in juvenute errasse convincas, sicut tu non tam confiteris quam convinceris? Ego me interpretandi disciplina tantummodo imitatum te dixi vel secutum: sed tamen in nullo alio: in quo etiam tibi omnem injuriam factam esse dicis, quia secutus sum quod te videram in hominibus secundum Lucæ Evangelium fecisse: ubi de Filio Dei in Græco non rectè inveneras, præterieris: in illo loco ubi dicit: Magnificat anima mea Dominum: & exultavit spiritus meus in Deo salvatori meo. Nosti quia de anima sicubi illa quæ solent dici non præterieris: sed ea adhuc etiam ex te additis quibusdam assertionibus lucidius scripseris: ut in illo loco: Ecce ut facta est vox saluationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo: ubi dicis quod non erat hoc principium substantiæ ejus, de tuo addidisti, atque natura. Hæc & mille alia his similia in interpretationibus tuis, five in his ipsis hominibus, five in Jeremia, vel in Isaia, maxime autem in Ezechiele subtraxisti. De fide autem, id est, de Trinitate cum in aliquantulis locis aliter invenisses: quæ tibi visa sunt prætermisisti. Hoc genus interpretandi uterque nostrum tenuit. Quod si alius culparet, tu utique respondere deberes, qui primus hoc feceras. Nunc ipse id culpas, sine dubio unde ipse culperis. Verbum de verbo interpretaris: antea, & stultum esse & malitiosum, pronuntiasti. In hoc secutus sum te. Nunquid de hoc vis ut peniteat me, quia tu modo mutasti sententiam: & ad verbum interpretatum te dicis? Si qua in fide minus adificabant, abstulisti: ita tamen abstulisti, ut non omnia nec in omnibus penitus amputares. Denique in hominibus Isaia, visio Dei, Filium & Spiritum sanctum retulit. Ita tu transtulisti: adjiciens ex te quod sensum auctoris ad clementerem traheret intellectum. Ais enim: Qui sunt ista duo Seraphim? Dominus meus Jesus Christus & Spiritus sanctus. Et ex tuo addidisti: ne putes Trinitatis dissidere naturam, si nominum servantur officia. Hæc & ego in quamplurimis feci,

Non sibi constat Hieronymus, si Ruffinus credimus, laudat & vituperat eisdem.

Laudes Melaniae de exemplaribus Chronicorum erant Hieronymus.

Gloriatio Ruffini.

Mentitur Ruffinus.

Hieronymus Origenis interpres multa tulit.

Interpretatio ad verbum.

Nota hunc locum in interpretatione Hieronymi.

& aut desecavi, aut ad saniorum intelligentiam declinavi. Pro his me jubes agere penitentiam? Non puto hoc sentire. Quod si pro his neque tibi, neque mihi penitentium est, pro quibus aliis me invitans ad penitentiam?

Scripta mea nulla extant, in quibus error meus aliquis corrigendus sit: Tua extant multa, quæ, ut video, nunc secundum sententiam tuam universa damnanda sunt. Exceperas tibi commentarios in Epistola ad Ephesios, in quibus te putaveras aliquid emendatius condidisse. Etiam ipse videri quæ similes per omnia esse Origenis sensibus inventi sunt: imo & plus aliquid quam hoc quod damnari expostulas continere. Et nisi ipse de his jam tibi excludisses penitentiam facultatem, dicens, revolve commentarios meos in Epistola ad Ephesios: & inde agnosceris, quomodo Origenis dogmatibus adversatus sum, fortassis velles iterum & de his penitere & in istis condemnare temeris, sicut & in cæteris. Tamen quantum in me est, concedo ego tibi & pro his penitere: sed & pro omnibus non solum quæ locutus es, sed & quæ locutus es, si agas penitentiam bene facis. Certum est enim quod penitentia sunt cuncta quæ scripseris. Quod si hinc me aliquis culpandum putat, quare omnino aliquid de Origene interpretatus sum, si hoc culpatur: ego in hoc opere postremus sum: & necesse est, ut culpa à primis incipiat. Et tamen nemo commissum penit, quod, ne admitteretur, ante non vetuit. Licuit, fecimus. Si quid prohibet lex, observari in posterum solet. Sed damnare dicit quis debere cum autore suo libros. Sed quid facimus de isto autore, qui eadem scribit sicut superius plenissime ostendi? Similem excipiat eademque sententiam. Ego hoc nec peto, nec urgeo, licet ille mecum hostiliter agat: sed ut video ipse sibi hoc temere alios condemnando conquirat.

Verum ut iterum tecum ex tuis verbis loquar: ipse scribis in istis invecivis tuis, me interpretatione mea hoc ostendisse, quod ego quidem essem Catholicus: Origenes autem quem interpretabar hæreticus. Ais enim: Hoc est dicere, quia ego sum quidem Catholicus: iste autem quem interpretor hæreticus. Ais enim: Hoc legi, si, ut dicis, hoc toto opere meo ostendi, quod ego Catholicus sum, & Origenes hæreticus: quid adhuc aliud queritur? Nonne totum agis, & illum hæreticum & me Catholicum dicit? Si hoc dixisse me, & hoc toto opere meo satis egisse testaris: quæ tibi jam accusationis causa superfuit? Quo profecit tua ista in nos invecio? Si Origenem hæreticum esse ostendi, & me catholicum: rectè feci, an non rectè? Si rectè, cur ad culpam & accusationem quæ rectè gesta sunt, vocas? Si non est rectum Origenem hæreticum dici: cur me hoc nomine in jus vocas? Quid opus fuit te interpretari malitiosius ea, quæ secundum tuum interpretandi morem fuerant translata, licet incultiori sermone? Quid certè opus erat auditores tuos illudere: & illis aliud opinantibus te aliud agere? Illi enim hoc existimant, quod tu adversum eos agas, qui Origenem catholicum defendunt: tu vero illos arguis, & accusas qui hæreticum illum designantur.

Propter hoc fortè me invitabas ad penitentiam? Non intellexeram. Verumtamen scito me ne de hoc quidem penitentiam gerere: quin dicam non omnia quæ in libris ejus inveniantur tanquam catholica esse suscipienda. Quæ utrum sua sint, ut dicis: an ab aliis inserta, ut nos putamus, Deus viderit. A nobis interim ubi ad fidei fastigium & veritatem ventum fuerit, respuantur. Tu tamen dic, quid exposcis à nobis: hæreticum vis ut dicamus Origenem? Hoc fecisse nos non culpas. Sed catholicum? Pro hoc nos accusas. Designa manifestius quid velis: si tamen potes aliquid horum medium invenire quod velis. Isti sunt omnes sales tui de Alexandri, & Porphyrii, & ipsius Aristotelis acumine congregati. Hæc est omnis illa jactantia, qua te à prima ætate usque ad senectam in Grammaticorum & rhetorum & philosophorum scholis ac discipulis prædicas esse versatum, ut procederes Origenem pronuntiaturus hæreticum: & in ea ipsa oratione qua in illum ferebas sententiam, accusares eum, quem asserbas quod illum hæreticum designarit. Vides quia nusquam cura veritatis ac fidei, nusquam religionis ac judicii contemplatio: sed sola male loquendi & lacerandi fractes, exercitata libido versatur in lingua: sola in corde humana contentio: sola invidia & livor in mente: in tantum ut cum odiorum tibi causa non esset, cognominatum te à

Non vult penitere Ruffinus.

Fallax Hieronymus.

Multum hoc loco Ruffinus lacerat Hieronymum.



me fratrem & collegam, licet cum praeconio indignanter acciperes. Ignosce mihi quod nesciebam te *αγαθὸν ἄνθρωπον* dici, & incompellabilem nominari. Miror tamen, quod ea me condemnare deprecas, quae a me notata conquereris.

Ad illam sane inculpationis ejus partem, superfluum videtur vel respondere aliquid, ubi pie & religiose dicta martyris Pamphili, aut falsa dici vult: aut etiam si vera sint, spernenda decernit. Cui jam iste deferat, cui jam parcat? Omnes apud istum Graeci scriptores antiqui Ecclesiastici erraverunt. Latinis vero quomodo derogat, quomodo carpat singulos, vel veterum, vel novorum, diversa ejus qui legit opuscula, recognoscit. Sed nunc ne martyres quidem apud eum habere possunt aliquid reverentiae. Non, inquit, credo, quia martyris sit. Hoc si velimus de omnibus scriptorum dicere libellis: quae erit in singulis probatio, si dicam: non est verum, quia Stromatum libri quos dicit Origenis sunt. Unde ipse esse probantur? Ex caeterorum, inquit, similitudine. Sed sicut ille qui in scriptura alicujus fallum facere vult, manus ejus imitatur: ita & qui sua dicta sub alterius nomine vult inferere: stylum sine dubio imitabitur ejus, cujus & nomen ascivit. Deinde ut omnia quae iustissima dici possunt, breviter causa praeteream, si in tantum volebas audere ut martyrem reprehenderes: dicta ipsa quae tibi videbantur reprehensibilia, in medium proferre debueras: & tunc unusquisque legentium vidisset quid ibi esset absurdum, quid consequens, quid iniquum, quid certe contra apostolicas regulas: sed tantum nescio, quid impietatis, pro quo, ut dicit, expiando sanguinem suum fuderit martyr: ipsa illa verba si legeret, jam non tua, sed sua sententia, aut errasse martyrem, aut nomine martyris, absurdam & impiam conscriptionem ab alio diceret esse compositam. Nunc vero sciens quia si legantur ea quae reprehendis, nota retorquetur in eum qui culpam injulit: ea quidem quae reprehendis non profers, tua autem illa censoria virgula & arroganti autoritate decernis: ille arceatur a Bibliothecis, ille recipiatur: & iterum iste ipse qui hodie receptus est, crastino si eum alius aliquis praeter me laudaverit, ejiciatur, & cum illo ipse qui laudavit. Hic autem catholicus habeatur, etiam si aliquando videatur errasse: illi erroris venia non detur, etiam si ea dicat quae ego dixi: & neque interpretetur quis eum, neque legat, ne quis mea facta cognoscant. Hic haereticus quidem, sed magister meus est. Et hic licet Judaeus sit, & de synagoga satanae conductus verba vendat ad pretium: tamen magister meus est, & praefertur omnibus, quia apud ipsos solum scripturarum veritas permanet. Si tibi istud autoritatis universa pariter injunxisset Ecclesia: & exigeretur a te, ut de singulis vel de omnibus judicares: nonne grave & periculosum onus, ne tibi imponeretur, excusare debueras? Nunc vero in tantum quotidiana derogandi meditatione proficimus: ut jam nec martyribus parcamus.

Sed ponamus quod non sit martyris libellus iste: sed eum quicumque unius de Ecclesia: nunquid suis verbis usus est quisquis ille est scriptor? Ut meritis cedendum videatur auctoris: de ipsis Origenis voluminibus ponit exempla, & quid de singulis sentiat, non suis defensoris verbis: sed ejus ipsius qui accusabatur, ostendit. Et sicut adversum te modo, multo meis verbis vehementiora sunt tua scripta: ita illum non excusantis auctoritas, sed sua dicta defendunt. Et ideo superflua est de auctore quaestio: ubi defensio talis est, quae assertore non egeat.

Sed ad illud jam nequissimum inculpationis ejus caput & invidiosissimum veniendum est, imo non invidiosum, sed invidium. Ait enim, quis prudentium, vel quis sanctorum aggredi voluit in Latinum vertere quod tu ausus es? Ego ipse, inquit, saepe rogatus a multis, non feci. Et quidem sancti quare hoc non fecerint, facilis excusatio est. Non enim continuo qui sanctus & prudens est Latinus, etiam linguae Graecae notitiam sufficienter habet. Nec sanctitati ejus detrahitur, cui deest peregrinae linguae notitia. Aut iterum non continuo si scientiam quis habet Graeci sermonis, etiam voluntatem interpretandi habet. Aut etiam si habet, non statim discutendus est ille qui pauca interpretatus est, quare non plura: aut cur non illa, sed illa? Libertas est enim in hujuscemodi opere, & est vel in arbitrio scribentis, vel in desiderio depolcentis: & tamen de sancto Hilario dicit, & de sancto Victorino: quorum alterum interpretis titulo nihil omnino arbitror transulisse de Graeco: alterum ipse dicit Heliodori

De bacchatur Ruffinus in Hieronymum.

Medax calumnia Ruffini.

cujusdam presbyteri usum scientia, ut quae ille sibi hauriret ex fonte Graecorum, ipse Latino ea sermone digereret, pro eo quod aut nihil aut parum Graece nosset. Illi ergo cur haec non fecerint, & facilis & manifesta est excusatio: de te sane mirandum est quare hoc feceris: Quid enim magis audeas, vel quid amplius temerarium, libros istos interpretari Origenis: quorum jam pene omnem continentiam in aliis libris scripseras: quorum omnia jam dicta quae reprehensibilia nunc dicit, sub proprii nominis sermone protuleras? An ut divinarum scripturarum libros, quos ad plenissimum fidei instrumentum Ecclesiae Christi Apostoli tradiderunt, nova nunc & a Judaeis mutata interpretatione mutares? Quid tibi ex his duabus causis magis videatur illicitum? Nam Origenis dicta: sive placent, ut hominis dicta placent, sive displicent, ut hominis falsa dicta facile contemuntur. Ista vero quae nunc tu interpretaris: & per Ecclesias & Monasteria, per oppida & castella transmittis, quomodo suscipiemus: tanquam divina, an tanquam humana? Et quid facimus, quod quae Prophetarum vel Legislatorum nominibus titulatur, veriora haec abs te quam illa quae Apostoli probaverunt, affirmantur? Istud commissum dic quomodo emendabitur: imo nefas quomodo expiabitur? Si enim in explicanda lege aliquid aliter sensisse damnabile apud te ducitur: ipsam legem pervertere in aliud quam Apostoli tradiderunt, quoties damnabile judicandum est? Cur non magis pro hujus auctore temeritate dicamus: quis ex tot & tantis prudentibus & sanctis viris, qui ante te fuerunt ad istud opus ausus sit manum mittere? Quis praesulerit sacras sancti Spiritus voces & divina volumina temerare? Quis praeter te divino muneri & Apostolorum hereditariis manus intulerit.

Et quidem cum ingens copia fuisse ex initio in Ecclesia Dei, & praecipue Hierosolymis eorum qui ex circumcisione crediderant, referatur: in quibus utique linguae utriusque perfectam fuisse scientiam, & legis peritiam probabilem, administrati pontificatus testatur officium. Quis ergo in ista eruditorum virorum copia ausus est instrumentum divinum quod Apostoli Ecclesiae tradiderunt, & depositum sancti Spiritus compilare? An non est compilare cum quadam quidem immutantur, & error dicitur corrigi? Nam omnis illa historia de Susanna, quae castitatis exemplum praebat Ecclesiae Dei: ab isto abscessit est & abjecta atque posthabita. Trium puerorum hymnus qui maxime diebus solemnis in Ecclesia Dei canitur, ab isto & loco suo penitus erasus est. Et quid per singula commemorare de his, quorum comprehendere numerum nequeo? De quo tu omitam illud dicere: quod septuaginta duorum virorum per cellulas interpretantium unam & consonam vocem, dubitandum non est, Spiritus sancti inspiratione prolata: & majoris id debere esse auctoritatis, quam id quod ab uno homine sibi Barrabba aspirante, translatus est. Ut ergo hoc omitam, vide quid dicimus, verbi causa: Petrus Romanae Ecclesiae per viginti & quatuor annos praefuit: dubitandum non est, quin sicut caetera, quae ad instructionem pertinent, etiam librorum instrumenta Ecclesiae ipse tradiderit: quae utique jam tunc ipso sedente & docente recitabantur. Quid ergo? Decepit Petrus Apostolus Christi Ecclesiam: & libros ei falsos & nihil veritatis continentes tradidit, & cum sciret quod verum est haberi apud Judaeos, apud Christianos volebat haberi falsum est? Sed fortasse dicit: quia sine literis erat Petrus: & sciebat quidem Judaeorum libros magis esse veros, quam istos qui erant in Ecclesia: sed interpretari non poterat propter sermonis imperitiam. Et quid? nihil in isto agebat ignea lingua per Spiritum sanctum caelitus data? Non ergo omnibus linguis loquebantur Apostoli.

Sed concedamus, quia non potuerit Petrus Apostolus facere, quod hic modo fecit: de Paulo quid dicimus? Num & Paulus sine literis fuit? Hebraeus ex Hebraeis, secundum legem pharisaeus, edoctus secus pedes Gamalielis: qui etiam & ipse Romae positus, si quid Petro defuisset, putas non potuit adimplere? Quomodo ergo isti qui praecipiebant discipulis ut attenderent lectioni, emendatas eis & veras non dabant lectiones: & qui praecipunt ne attendamus Judaicis fabulis & genealogiis, quae quaestiones magis praestant quam adificationem? Et iterum cavere nos jubent, & observare maxime eos qui ex circumcisione sunt, quomodo non providebant per spiritum quod futurum esset tempus post quadringentos fere annos, quando Ecclesia cognito eo quod ab

Calumnia Ruffini in translationem Hieronymi, quae est ex Hebraeo fonte.

Fatuitas Ruffini.

Nemo, quia nemo satis doctus ad id opus.

Falsa calumnia Ruffini, non adiecit Hieronymus historiam Susannae trium puerorum hymnum.

Fatuitas objectionis Ruffini.

Nihil transulit Origenes de Hebraeis voluminibus.

De Origenis Hexaplis imperite Ruffinus scribit.

Quadringenti fere anni post

Apostolis non sibi esset tradita veritas veteris instrumenti, legatos mitteret ad istos quos illi tunc circumcisionem vocabant: obsecrans & exorans, ut sibi de veritate quae apud ipsos est, aliquid largirentur? Per totos istos quadringentos annos errasse se, & ignorasse quod verum est, fateatur? Ascitam quidem se esse ex gentibus sponfam Christo per Apostolos: sed non ab eis veris monilibus exornatam: putasse se lapides esse pretiosos, nunc autem deprehendisse quod non sunt verae istae gemmae, quas sibi Apostoli Christi imposuerant: erubescere se ad publicum procedere, falsis & non veris lapidibus adornatam: & ideo rogare se ut vel Barrabam illum quem aliquando ut Christo nuberet spreverat: mittant ad se qui possit cum uno electo ex suis viro ornamenta sibi vera, quae Apostoli non praestiterant, reparare. Quid ergo mirum est, si me minimum & nullius numeri hominem laceret, si Ambrosium fecerit, si Hilarium, si Lactantium, si Didymum reprehendat? Nec multum dolere de injuria mea debeo, pro eo quod opus meum ipse interpretari denuo aggressus est: cum me septuaginta interpretibus in hac aequaverit contumelia. Sed & illud quomodo accipiendum est? Quantum accessisse ad incredulitatem ex hoc facto gentilibus aestimatis? Non enim latent eos, quae apud nos aguntur. Scientes ergo legem nostram non emendatam vel mutatam: nonne dicunt apud semetipsos, errant isti, nec est apud eos aliquid veritatis? Ecce ipsi cum volunt, leges suas corrigunt & emendant. Certum est autem errorem praecessisse, ubi emendatio subsedit: nec divinum videri posse, quod ab homine mutatur. Hoc nobis praestitit tua ista nimia sapientia: ut omnes insipientes etiam a gentilibus judicemur. Nolo sapientiam quam Petrus & Paulus non docuit: nolo veritatem, quam Apostoli non probaverunt. Tua verba sunt: post quadringentos annos non debere simplices Latinorum aures novae doctrinae voce pulsari. Modo tu dicitis: Omnis qui putabat Susannam nuptis & innuptis exemplum pudicitiae praestitisse, erravit. Non est verum. Et omnis qui putabat quod puer Daniel Spiritu sancto fuerit repletus, & arguerit adulescentes senes, erravit. Non erat verum. Et omnis Ecclesia per orbem terrarum, sive eorum qui in corpore sunt, sive eorum qui ad Dominum perrexerunt, sive illi sancti confessores fuerunt, seu etiam sancti martyres, quicumque hymnum trium puerorum in Ecclesia Domini cecinerunt, omnes erraverunt, & falsa cecinerunt. Modo ergo nobis post quadringentos annos legis veritas empta pretio de synagoga procedit.

Posteaquam senuit mundus, & perurgenter cuncta ad finem, scribamus etiam in sepulchris veterum, ut sciant & ipsi qui hic aliter legerant: quia Jonas non habuit umbram cucurbitae, sed haereditatem. Et iterum cum voluerit legislator, nec haereditatem: sed alterius virgulti. Sed & Origenes, inquit, altercos fecit, ex translatione Theodotionis assumens: ut componeret volumina quae appellatur Hexapla. Et quid Origenem istum, quando tibi placet condemnandum, quando placet imitandum produci? Virisimile est ut eundem tu & defensorem adhibeas & reum. Autorem facti tui habere potes eum, quem & primus ipse condemnas: & ad condemnationem ejus Epistolis tuis Romanum cogis senatum? Ante hoc providere debueras. Nemo succidit arborem cui innitit parat: nemo in sua causa fidem ejus implorat, cuius ipse reprobat fidem. Sive hoc fecit Origenes, sive non fecit, quid ad te? Si ad illius exemplum judicari vis, relege sententias tuas: & vide quid dixeris. Hoc non est, inquit, se purgare: sed socios criminis querere. Noli ergo & tu socios criminis querere: sed purgationem facti require. Verumtamen videamus quid tale etiam reus & autor simul Origenes fecerit. Ego illius nec unum locum ex scripturis divinis de Hebraeis invenio translatus. A te omnes scripturas video esse mutatas. Et quomodo factum tuum & illius simile videri potest?

Apostatae quidem & Judaei interpretati sunt ea: quorum lectione Judaei maxime utuntur. Et quia frequenter si disputatio accidisset, vel immutata esse aliquanta, vel deesse, vel abundare in nostris scripturis mentiebantur: voluit Origenes nostris ostendere, qualis apud Judaeos scripturarum lectio teneretur: & in propriis paginis vel columnellis, editiones eorum singulas quasque descripsit: & ea quae apud illos sunt addita vel decrepta, certis quibusque signis additis, ad versiculorum capita designavit: & in alieno non suo opere, suas tantummodo notas fixit: ut sciremus non quid nobis: sed

quid Judaeis adversum nos certantibus, aut deesse, aut abundare videretur. Quod tale esset, quale si quis accepto breviculo, in quo militum nomina continentur, nitatur inspicere, quanti ex militibus superint, quanti in bello ceciderint: & requirens qui inspicere missus est propriam notam: verbi causa, ut dici solet ad uniuscujusque defuncti nomen ascribat, & propria rursus nota superstitem signet: nunquid videbitur is, qui notam ad defuncti nomen apponit, & propria rursus nota superstitem signat, quod egerit aliquid, ut vel hic defuncti, vel ille viventis causam acciperet: sed quod eos qui ab aliis fuerint perempti, iste annotationis designavit indicium? Ita ergo fecit & ille ea quae per alios interpretes sive precepta fuerant, seu etiam abundantius prolata, propriis quibusdam signis, id est, asterischi & obelisci notulis designavit. Caeterum neque verbum aliquod de suo unum saltem inseruit, neque nostrorum exemplariorum fidem fecit in aliquo vacillare: sed ea quae minus videbantur secundum cursum literae plana & lucida, spiritualis intelligentiae ostendit referata mysteriis. Quid tibi ergo Origenis actum in hoc potest praestare solati, cujus neque opus facile aliquid ostendit potes: & in quo tantum laboras, ut litera occidat consequentem: dum ille e contrario spiritus vivificantis esse conetur assertor?

Tuum igitur frater, tuum istud est factum, nec quemquam nunc te in hoc comitem vel socium in Ecclesia habuisse certum est: nisi istum solum, quem frequenter commemoras Barrabam. Quis enim alius audeat ab Apostolis tradita Ecclesiae instrumenta temerare, nisi Judiacus spiritus? Illi te o mi frater, antequam a Judaeis caperis charissime, illi Calumnia te in haec mala praecipitant. Illi te libellis editis, notas insinuant & auctores Christianis, illi te nec martyribus parere faciunt: & de omni Christianorum ordine fanda atque nefanda scribere, turbare pacem nostram, scandala Ecclesiae generare. Illi etiam adversum te ipsum, & scripta tua quae quasi Christianus aliquando locutus sis, cogunt ferre sententiam. Et ideo tibi omnes fordemus: dum illi pessimis vis aribus tibi nimium placent.

Nam quomodo tu si Pauli literis acquiesceres, dicens: si quis frater praevenerit fuerit in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, ita effertur: ut in nullo prorsus spiritualis institutionis ordinem custodiret? Pone enim aliquid me scripsisse contumeliosum: pone quod tibi viro summae eloquentiae, & fratri & collega mihi quem imitandum in disciplina interpretandi dixi, injuriam fecerim: tamen post pacem illam summo vix sudore reparatam, haec prima adhuc de meis injuriis querela ad te pervenerat. Sed & illam tuam ponamus injuriam, quod in interpretando Origenem te imitatus, aliqua praeterierim, quae mihi minus adificationis in fide habere videbantur: Culpa pro hoc eram fortassis, & emendandus. Scripta, ut ais, ad te fratrum missa sunt, depositum culpas interpretis argui. Quid tu vir spiritualis agis? Quid formae & exempli in rebus talibus caeteris praebes? Fratris turpitudinem non solum nudatam his qui foris sunt nuncias, sed & obiecta denudas. Pone quia non te imitatus, hoc feci, sed ebrietas aliqua subrepens, sicut patriarcha fecit, nudaverit turpitudinem nostram: nunquid maledictionem consecutus fueras, si obversus incedens, levi palliolo rescripti tui contextisses opprobrium nostrum, & si velasset Epistola vigilantis, quem stylus nudaverat dormitantis?

Sed aliud rescribere non poteram his, qui ad me talem Epistolam miserant: ut nisi ita rescriptissem, aut reinterpretatus essem ea ad verbum, quae tu es interpretatus ad sensum: etiam ego Origenem sequi viderer. Nondum dico quae sit illa aut qualis Epistola: tamen quoniam viri nobilissimi Pamphili continet nomen: quid fuisse absurdum, si ei tale aliquid respondisses: frater non est remere de alterius opere judicandum. Nam & tu ipse nosti quid feceris: quando adversum Jovinianum, Romam missi libellos: cum eos quidam aliter intelligerent, quam ego me dictasse memineram: nonne cum jam a plurimis legerentur, & offenderentur penne omnes, cum quibus etiam tu ipse esse putabaris, exemplaria jam de foro, jam de publico subtraxisti: & haec non ad aliquem alium, sed ad me remisisti, causam pariter quia multi scandalum pati videbantur, insinuas, quomodo ego Apologeticum denuo descripsi, & quae aliter intelligebantur, ad intelligentiam rectiorem pro ut potui, revocavi? Aequum est ergo, ut quod nobis fieri volumus, aliis faciamus. Sicut

Quid Pamphilio refpondendū voluisset Ruffinus.

Librorum contra Jovinianum exemplaria subtraxisti.

Quid Pamphilio refpondendū voluisset Ruffinus.

Librorum contra Jovinianum exemplaria subtraxisti.

T iiij